

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

XVII. De ultate bonae voluntatis.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

nam falsitas charitatem excludit, et firmat in animo hypocrisim, odium et crudelitatem.

Qui in poena positus impedimenta conqueritur, in cognitione est cæcus, in patientia non firmus, in amore frigidus, in virtute tepidus, stultus in sensibus, in bonis sermonibus mutus. Ideoque dixit Dominus: Hic homo nec infirmari vult nec despici; et super quo fundabo et ædificabo gloriam ejus? — Domine, cum infirmatur, vel despicitur, quo tunc ædificatur gloria tua? — Cum infirmatur, debet venerari, servire, amare me solum cum jucunda patientia: cum despicitur, debet amare me et longanimis esse. Sicut enim clerici ac religiosi quandoque *per obedientiam* restricti a divinis cum merito vacant, sic infirmitas et despectio se humiliter sustinentibus gloriam accumulant, gratiamque conservant.

XVII. DE UTILITATE BONÆ VOLUNTATIS.

VI. 19.

MULTAS in corde meo sustinui miserias, pro eo quod bonam voluntatem nunquam producere potui ad effectum. Impedit etenim me paupertas, impatientia, defectus que consilii, et quod supra naturam agere non præsumo. Postquam enim proprio arbitrio cecidi, divino judicio a deliciosa altitudine qua mirabar ea in quæ potens charitatis flamma me abstraxerat, quorum nec finem *nec principium* poteram reperire, hæc miseria me invenit. Nunc autem in tali profundo fluctuo cuius fundum non invenio; nam omne quod sustineo poenale non æstimo, locum novissimum desiderans, ut tamquam canis rabidus nullius hominis amica, in exilio incognita, amicitiam inter pauperes retinerem. Nolo autem extra obedientiam fieri, quia sancta, humilis obedientia virtutum est sigillum. Voluntas bona, qua homo prædictus est, nec tamen opere sufficit, similis est pulchritudini florum nobilium suave redolentium sine fructu. Sic me consolatus est Dominus, quod omnis pia voluntas perfectæ conversationis et vitæ flores sunt jucunditatis æternæ, quibus rex omnipotens in die lætitiae festi-

vitatis suæ electis suis certa præparat, quibus coronentur, qui hic bonarum conceptibus voluntatum imprægnati, ad partum sanctæ non pervenient actionis. Eia nunc, pie Deus, porrige mihi dexteram tuam, et deduc me in patriam charitatis; quia, proh dolor! tempora multa inutiliter perdidii, quæ per te recuperare proposui, Deus meus. Et quoniam corporis commoda et sensuum exteriorum solatia cum timore humili suscipienda sunt ab iis qui in veritate persistere querunt, *tuum est auxilium implorandum.*

XVIII. DE VERITATE ET FALSITATE VIRTUTUM ET VITIORUM¹.

TEMPORALES divitiæ peregrinus et infidelis hospes sunt; sancta paupertas magnarum divitiarum coram Deo pondus portat.

IV.4.

Mobilitas damnum proprium non recordatur; [constantia est omnibus virtutibus plene onusta].

Stultitia sibi ipsi complacet; sapientia doctrinam amplectitur et in se fovet.

Iracundia menti tenebras ingerit: mansuetudo sanctam gratiam Dei faciliter invenit.

Superbia reputari optima et suprema appetit; humilitas despacta, nisi hominibus se subjiciat, non quiescit.

Inanis gloria coram Deo surda est et cæca: innocentia honorat in sanctis Dei opera.

Hypocrisia et falsitas pulchris abundat gestibus; sancta perfectio patet superborum contemptibus.

Avaritia semper immitis est duritia; sed felix modestia suavi fundatur in gratia.

Acedia multos thesauros neglit: diligentia non valide querit sua commoda.

Infidelitas [semper falso ambulat consilio; plena fidelitas] non prætermittit opus bonum:

1. In originali: De duabus viis dissimilibus, quarum una descendit ad infernum, alia sursum scandit in cœlum. *Cod. B. in marginie.*